

gendo per se sola non sufficerent. Atque hoc sensu verissima et profunda quadam ratione omnes omnino causae secundae respectu quarumcumque operationum et effectuum se habent ut instrumenta ad Deum comparate. Etsi enim, vere operantur, adeoque aliquid propria et connaturali virtute efficiant, non tamen propriam operationem et effectum *per se primo* respiciunt sub formali ratione *entis*, ut sic, si nimirum ipsa dumtaxat connaturalis virtus qua agunt, consideretur. Aliunde haec ratio necessario per se primo attingi debet, quo aliquid reipsa habeatur. Relinquitur proinde, ut *in ordine ad hanc rationem sic attingendam* considerentur esse sub influxu primae Causae eas adiuvantis et corroborantis. Et hoc est quod ait S. Thomas sic inquires, * Aliorum... quae per motum vel generationem producentur, creatura causa esse potest, vel ita quod habeat causalitatem supra totam speciem, sicut sol est quod habeat causalitatem ad unum individuum speciei tantum, sicut homo general hominem, et ignis ignem. Horum tamen causa etiam Deus est, *magis intime in eis operans quam aliae moventes, quia ipse est dans esse rebus, causae autem aliae sunt quasi DETERMINANTES ILLUD ESSE...* Unde operatio Creatoris magis pertingit ad infinita rei quam operatio causarum secundarum: et ideo hoc quod creatum est causa alicui creaturae, non excludit quin Deus immediate in rebus omnibus operetur, in quantum virtus sua est sicut medium coniungens virtutem cuiuslibet causae secundae cum suo effectu: non enim virtus alicuius creaturae posset in sum effectum, nisi per virtutem Creatoris, a quo est omnis virtus, et virtutis conservatio, et ordo ad effectum; quia, ut in lib. de Causis dicitur, causalitas causae secundae firmatur per causalitatem Causae primae. (2. *Dist.* 1. q. 1. a. 4.) (1)

(1) Duplicem hunc modum quo causa dicitur instrumentalis perspicue tradidit habes ab eodem Doctore Angelico. * Dicendam, ait,

SECTIO IX.

*Utrum causae secundae
praevia motione physica a solo Deo
procedente actioni applicentur.*

574. *Materia ac ratio tractationis.* — Durandus, ad assertum Dei concursum inficiandum, tribus de causis potissimum commotus fuit, quae sunt totidem difficultates hac in re diluendae. Prima est, quia causae secundae in suis operationibus connaturalibus sufficiente et proportionata virtute instruuntur ad agendum, media scilicet creatione et conservatione: unde videtur superflua alia actio divinae virtutis, a creatione scilicet et conservatione distincta. Aliae vero difficultates speculium dumtaxat ex modo agendi proprio voluntatis creatae. Haec cum libertate arbitrii fruitur, ac saepenumero a regula morum per peccatum deficit: utrumque autem difficiliter conciliari posse videtur cum asserta immediata cooperatione divinae virtutis. Iam age, prioris difficultatis solutio ex his quae

quod Causa prima dicitur esse principalis simpliciter loquendo, propter hoc quod magis influit in effectum: sed causa secunda secundum quid principalis est, in quantum effectus ei magis conformatur... Dicendum, quod instrumentum dupliciter dicitur. Uno modo proprie, quando scilicet aliquid fit ab altero movetur, quod non confortur ei a movente aliquid, sed ab altero movetur; sicut setta movetur a carpentario: et tale instrumentum est expertus libertatis. Alio modo dicitur instrumentum magis communiter quiddam est movens ab alio motum, sive sit in ipso principio sui motus, sive non. (Qu. *Disp. Verit.* q. 24. a. 1. ad 4. et 5.) Alibi vero tradit hoc principium, manifestum aequae ac necessarium ad multa intelligenda. *Proprium*, ait, est instrumenti quod movetur a principali agente, DIVERSIMODE TAMEN SECUNDUM PROPRIETATEM NATURAE IPSIUS. (*Semma th.* 3. p. q. 18. a. 1. ad 2.)

in praecedente sectione disputavimus, satis superque elucet; quare nihil addendum videtur. Pro ceterarum vero solutione omnino requiritur, ut propius accedamus ad dirimendam questionem paulo ante intermissam [571], an scilicet divina operatio in creaturis agentibus se habeat per modum simplicis *motus cooperativae*, vel rationem praeterea verae eiusdem *praemotio*nis induere debeat. Etsi enim hae aliaque difficultates *πεπολιτισται*; solutae censi debent ex generali illo principio quod ante [554] adhibuimus cum D. Thoma, quod scilicet operatio Causae primae, utpote accommodata naturae causae secundae, eius proprium et connaturalem modum agendi non destruit sed firmat: id tamen, nisi aliud addatur, difficultatis nodum praecidit potius quam solvit, praesertim si ad rem ulterius explicandam talis modus divinae operationis in medium proferretur, qui cum veritate recitati principii parum apte cohaereat. Quum vero, in hac questione potissimum, ad Aquinatis auctoritatem hinc inde passim appelletur; primum quidem in hac et sequente sectione, quid de re ipsa sentiam, paucis aperiam, dein vero quae sit mens Aquinatis in altera sectione perquiram.

575. **Praemotio seu praedeterminatio physica.** — Fierunt itaque theologi saeculo XVI exeunte (1), qui, duce Dominico Bamesio et Didaeo Alvarez, ad vindicandam

(1) Suarez quum retulerit hanc opinionem *nonnullorum doctorum* suae aetatis, haec addit. "Auctorem antiquum, qui hanc doctrinam sic declaratam tradiderit, *nullum reperio*. Nam licet divo Thomae attribuat a praedictis auctoribus, propter quosdam eius loquendi modos, tamen inferius videbimus, nihil firmum ex eius doctrina in huius sententiae confirmationem afferri posse; et potius contrariae favere, quam nonnulli etiam antiqui Thomistae docuerunt." (Opus. *De concursu et efficaci auxilio Dei*,... lib. 1. c. 5. n. 5.) Confer egregium opus nuper editum a cl. G. Schneeman, cui titulus, *Contra-cursionem de divinae Gratiae ubique arbitrii concordia initia et progressus* (HERBER, Friburgi Brisgoviae, 1881). Vide speciatim quae de cetero schola S. Thomae enarrat pag. 98, seqq., unde patet, quam vere dicta sint quae modo retulimus ex Doctore extimo.

Deo, ut ipsi aiunt, dignitatem *primi agentis*, et ad expiscandum medium aliquid in quo Deus certa et infallibili scientia futura contingentia praevideat, ea ratione causas secundas divinae motioi subdidissent quae utriusque muneri nuper indicato ex ipsorum mente satisficeret. Nimirum, praeter divinam creationem et conservationem, praeter divinam motionem cooperativam communi Doctorum consensu probatam, novum quoddam divinae motionis genus in medium protulerunt, quae sit ipsi creaturarum actioni praevia, eaque physica et praedeterminativa ad unum. * Vocant... *praeriviam*, ait Goudinius, quia omnes actiones naturaliter praecedit; *physicam*, quia non consistit in illis excitationibus et persuasionibus, quibus etiam homo hominem movere potest, et boni Angeli suos clientes ad virtutem interius excitant, sed in subministratione interioris virtutis, et activa applicatione, sicut magis infra constabit. Solet etiam vocari *praedeterminatio physica*, quod per illam virtus activa creaturae ex indifferenti et otiosa reducat ad actum determinatum. („*Philosoph. A. p. De Deo Praemotore*, q. 4. a. 1.) Paulo inferius autem idem auctor praemotionem istiusmodi magis evolvens, sic pergit. * Praemotio physica, inquit, est influxus Causae primae receptus non quidem immediate in effectibus, sed in causis secundis, quo Deus ipsi actualem efficacitatem inspirat, quo eas movet et applicat ad agendum, non solum objective et moraliter, alliciendo et suadendo, sed etiam physice et active, interius inclinando, applicando, determinando, ac ultimam illam activitatem, ad quam statim sequitur actio, influendo; et ideo dicitur motio physica. Sed quia motio et applicatio virtutis activae ad agendum est prius natura quam ipsa actio, sicut omnis via est prior suo termino, et omnis causa suo effectu, ideo motio illa dicitur *praevia motio* seu praemotio, quam rite comparaveris illi impulsui... quo anima vivificat organa vitalia... quo manus movet baculum et artifex securim, licet ista omnia exempla non ex omni parte quadrent. Unde per illum influxum Deus active et proprie facit, ut creatura faciat, reddiditque illam a se dependentem, non

ut concausam concausae, sed ut secundum agens primo agentis, et ut causam subditam et inferiorem superiori, a qua applicatur ac determinatur, cui proinde non solum effectum suum debet, sed etiam propriam suam in productione effectus causalitatem. (loc. cit. a. 2.) Huic explicationi ceteri praedeterminatores plane consentiunt, ut videre licet in ipsorum operibus. Ex dictis patet, quibus praedicatis adornetur haec motio. Primo itaque non est aliquid in Deo existens, sed ab eo procedens ac ipsam virtutem activam creaturae physice afficiens eique inhaerens. Dicitur esse complementum ipsius, adeoque oportet, ut cum ipsa virtute creata sub genere qualitatis reductive saltem contineatur. *Motio*, ait Alvarez, *actualis Dei confert voluntati et omnibus causis secundis ultimum complementum actus primi: confert etiam vim quandam, qua operentur ad esse et ad ultimam actualitatem effectus, ut instrumentum Dei.* (Lib. 3. *De Auxiliis*, D. 18, n. 18. ad 1.) Est autem sic necessario requisitum ad actionem, ut contradictio sit eam existere sine tali praemotione. *Nulla*, ait Barnesius, *secunda causa potest operari, nisi sit efficax a Prima determinata.* (1. p. q. 14. a. 13. § *Ad hoc respondetur.*) Secundo, a solo Deo effective procedit, quum sit natura antevergens omnem creaturae efficientiam. Quocirca virtus creata in qua recipitur, respectu ipsius se habet dumtaxat in genere causae materialis seu subiectivae. Hinc D. Alvarez concludit, eam motionem *non esse in potestate voluntatis, tamquam in causa efficiente, cum talis motio praevia sit effective a solo Deo.* (Lib. 3. *De Auxiliis*, D. 18. n. 20.) Postremo et praecipue adstruitur per modum principii actuosi, unde ipsa creaturae actio eaque determinata procedit indeclinabiliter. Quocirca Gonetus: *Actio Dei, inquit, voluntatem humanam, priusquam se determinet, ita ad actum movet insuperabili virtute, ut voluntas nequeat omissionem sui actus cum illa praemotione coniungere.* (Clypeus Thom. D. 9. a. 5. § 1.) Ita vulgo ceteri praedeterminatores, qui idecirco hoc nomine condecorantur.

THESIS XXX.

Tum humani arbitrii libertas, tum divinae voluntatis sanctitas prohibent omnino, ne Deus sic operari in causis secundis exhibeatur, ut eius physice ad unum praedeterminet. Reicimus etiam consimile praemotivum genus, tametsi dicatur indifferenter coniungibilis cum utrolibet libertatis extremo.

576. *Probatio I. partis.* — En argumentum, quod centies propositum fuit, nec unquam dissolutum habuimus. Et sane, istiusmodi praedeterminatio vel subesse dicitur usui libero voluntatis, sic nimirum ut sit in eius electiva potestate tali praemotione uti vel non uti, aut minime subest. Nequit profecto excogitari medium inter haec duo: contradictorie siquidem opponuntur. Si prior optio fiat, ergo deest istiusmodi praemotivum character essentialis quambrem *praedeterminatio* appellata est. Haec enim a suis auctoribus perhibetur ut praerequisitum ad velle; dicitur insuper ab extrinseco provenire, a sola scilicet Causa prima, et essentialiter connecti cum ipsa operatione voluntatis quam indeclinabiliter secum fert. Patet autem manifestissime, rem istiusmodi minime subesse libero usui electivae potestatis. Sin vero alterum membrum propositae disjunctionis accipiatur, nihil admodum apparet, quo pacto subsistere queat indifferentia quae est de essentiali conceptu liberi exercitii. Patet hoc sive consideremus hominem praedeterminatum, sive hominem non praedeterminatum, vel quod perinde est, sive voluntas spectetur *in sensu composito* acceptae praedeterminationis, sive spectetur *in sensu diviso* eiusdem. Probatur hoc quoad utrumque membrum.

Ac primo quidem, si de homine praedeterminato sit sermo, deest indifferentia arbitrii. Non enim dici potest liber libertate arbitrii ad actum ponendum vel omitten-

dum qui antecedenter ad omnem usum suae libertatis patitur impedimentum essentiale omissioni actus. Atqui sic res habet in homine praedeterminato: siquidem praedeterminatio istiusmodi est plane antevertens omnem usum libertatis, dicitur insuper essentialiter connexa cum positione actus determinati adeoque essentialiter excludens eius omissionem. Ergo in sensu composito praedeterminatio nullum cernitur exercitium libertatis, *indifferentiae* scilicet seu *arbitrii*.

Id ipsum elucet, si rem spectemus in signo priori ad acceptam praedeterminationem, sive in sensu diviso. Non enim dici potest liber libertate arbitrii in cuius potestate non est requisitum essentiale ad operandum idque independentem ab exercitio propriae libertatis. Atqui non est in potestate hominis non praedeterminati habere praedeterminationem quae a suis factoribus praedicatur ut requisitum essentiale ad operandum; haec impotentia insuper praeventit omnem usum propriae libertatis. Ergo nec in sensu diviso acceptae praedeterminationis perspicere licet exercitium ullum liberi arbitrii.

Brevi. Ad actum primum expeditum liberi exercitii requiritur vera eaque simultanea potestas agendi et non agendi [363]. Atqui in homine praedeterminato elucet quidem potestas agendi, at sine potestate non agendi; in homine vero non praedeterminato nec prior potestas elucet. Ergo in neutro exercitium ullum elucet libertatis indifferentiae seu arbitrii.

577. Obstruuntur exceptiones adversarium. — Adversarii quos hic habemus, sincere fatentur cum Ecclesia Catholica contra Calvinum et Iansenium, humanam voluntatem, non obstante divina motione, cum vera libertate arbitrii seu indifferentiae se gerere in suis operationibus. Conantur proinde pro viribus enervare argumentum quod adhibuimus, atque ita modum divinae motionis quem inducunt, conciliare cum humana libertate.

I. Exceptio prima. — Dicunt itaque imprimis, Dei omnipotentiam se extendere ad omnia entia ac modos entium, eo quod est efficacissima: quare motio quae ex

illa profluit, non solum confert actionis substantiam, sed etiam modum quo fieri debet conformiter ad naturam causae secundae; ita ut si sit causa necessaria, eam movet, ut necessario agat, si sit causa libera, movet ut libere agat.

At enim nemo non videt, hac responsione peti principium, non vero dissolvi argumentum factum. Verissimum est quidem, divinae Providentiae operationem, utpote efficacem simul et suavem, attemperari modo connaturali agendi causarum secundarum, adeoque amico foedere conciliari cum libero exercitio humanae voluntatis. Sed *ex hoc ipso nos redarguimus* modum illum divinae motionis quem adversarii obtrudunt, quia scilicet si sic Deus moveret, minime eius operatio exereretur conformiter ad naturam causae liberae. Pertinet propterea ad adversarios, hanc consequentiam precipere, ostendendo fallaciam argumenti quo usi sumus ad illam probandam, nec sufficit simpliciter appellare ad principium quod a nemine in dubium revocatur. Nec satis est respondere cum Billuart (*De Deo*, Diss. 8. a. 4. § 2.), *id esse mysterium*. Nulla enim est legitima auctoritas quae ad istiusmodi praedeterminationem deglutiantem tale mentis obsequium, fidei scilicet in mysteria, a nobis exigat (1). Nec iterum valet

(1) Eiusmodi mentis obsequium exigebat Banez in favorem praedeterminationis quam in scholas obtrusit. Sic enim redarguit theologos quos ipse inducit nobiscum fatentes, se non posse intelligere libertatem arbitrii sub gratia ab intrinseco efficaci seu praedeterminante. * Ad hanc ego obiectionem responsurus, nempe satis mirari huiusmodi theologorum ignorantiam, ne dicam temeritatem. Nam primum omnium debuisse credere, quod aiunt se non posse intelligere; credimus enim catholici mysterium Trinitatis, etiamsi non intelligamus, (2. 2. q. 10. a. 1. Conclus. 3. Docum. 3.) At enim, nemo prohibere potest, quin isti theologi, quorum ignorantiam et temeritatem Banezius tam severe sigillat, sic regerant cum Illustrissimo Francisco Aravio Ordinis Praedicatorum. * Mirum plane est, ait, quod quidam novitii theologi (tempore Aravii), quorum nulli absque ullo examine suorum magistrorum sectantur placita, tantum sibi fidem velint haberi, ut indubitanter posteri theologi credere teneantur hunc Dei physicum humanae voluntatis praedeterminativum concursum.

recurrere ad analogiam existentem inter divinas et creatas perfectiones, unde fit ut divina causalitas in causis secundas minime concipi debeat ac si ageretur de causalitate unius causae secundae in aliam. Hic enim recursus in re praesenti est frustraneus omnino. Ratiocinatio quam adhibuimus, pro medio assumit ipsissimam definitionem divinae motionis praedeterminativae quam nobis adversarii elargiuntur, non vero conceptum aliquem analogice communem Deo et creaturis. Concedimus quidem causalitatem primi Entis altioris esse rationis, quam sit causalitas agentium secundorum, ob eas praesertim differentias quas ante [508] cum Angelico declaravimus: sed id minime profecto significat, eam concipiendam esse quasi receptaculum quoddam impossibilem.

II. **Exceptio secunda.** — Recurrunt praeterea ad distinctionem *sensus compositi et divisi*. Dicunt nimirum, hominem habere quidem potentiam omnitem actum in sensu diviso a praemotione, adeoque esse liberum; non vero postulari ad libertatem, ut in homine sit potestas coniungendi seu componendi hanc omissionem cum accepta praemotione ad agendum, quemadmodum nemo propterea negat, hominem libere *velle*, quia nequit cum hoc *velle* componere *non velle*.

Sed etiam hoc effugium nullius est momenti. Haec enim distinctio sensus compositi et divisi apte quidem adhibetur in actibus liberis, quum est in potestate electiva voluntatis illud cum quo aliud necessario connectitur; tunc siquidem, si qua inducitur necessitas, ea est *consequentiae* dumtaxat seu *consequens*, non vero *consequens* seu *antecedens*, ut ante cum D. Thoma exposuimus [482].

cuus nec Concilia, nec Sancti Patres aliquando meminerunt, sed ab eis fuit quodam fallaci discursu confectus. (To. 2. in l. 2.^a n. 41.) Fuit autem Aravius 13 annis post Bannesi mortem per duo decennia professor primarius Salmanticae, postea Episcopus Segoviensis. Lege Livinum de Meyer (Hist. *Controv. de Auxiliis*, lib. 2. c. 22. ANTWERPIAE, 1705).

Contra, si necessitas oriatur ex compositione quae fiat cum aliquo quod non est in potestate voluntatis, cuiusmodi est praedeterminatio physica, ea, utpote *antecedens*, et *consequentis*, prorsus omnino officit exercitio libertatis indifferentiae et solam relinquere potest libertatem a coactione. Quare disparitas manifestissima existit inter impossibilitatem coniungendi *non velle* cum *velle*, et impossibilitatem coniungendi *non velle* cum *praedeterminatione*: velle siquidem est in potestate nostra, non vero praedeterminatio: unde prior impossibilitas non officit exercitio libero, sed illud subaudit; altera vero officit sane plurimum illudque radicatus extirpat. Praeterea notari debet, quod potestas non agendi quam adversarii dicunt inesse in voluntate in sensu diviso a praedeterminatione, perperam sic vocatur: ut enim ante [363] cum Doctore eximio notavimus, ea non est *vera potestas non agendi*, sed *vera impotentia agendi*, quae duo oppido differunt: illa siquidem subaudit actum primum expeditum, haec vero minime.

Instant dicendo, aliquo vero sensu praedeterminationem esse in nostra potestate, propterea quia Deus sic praedeterminat ad actum *A*, ut simul habeat praeparatas praedeterminationes alias, puta ad actum *B* priori oppositum vel ab eo diversum.

Sed hoc est puerile. Ex tali enim praeparatione bene sequitur, eas esse in potestate Dei, non vero esse in potestate voluntatis: potestas enim eiusmodi, utpote electiva, debet esse activa, non passiva qualis cernitur etiam in causis necessario agentibus. Nec refert, si dicatur hoc satis esse, quia *quo per amicos possumus, aliquoties per nos possumus*, ut ait Aristoteles 3. *Ethic.* c. 3. Ideo enim hoc proloquium veritatem habet, quia vel possumus petere ab amicis cum spe obtinendi fundata in ipsa amicitia, vel quia amicus etiam non rogatus, quantum est ex sua parte, dare et efficere paratus est. Atqui manifestum est, utrumque deesse relate ad actum *B* in voluntate praedeterminata ad actum *A* illi oppositum.

III. **Exceptio tertia.** — Dicunt tertio ac passim, actum, stante praemotione, esse liberum, quia iudicium intellectus

est indifferens, *ex vi obiecti* scilicet quod voluntati proponitur ut indifferenter amabile.

Hoc tamen effugium praeoccupavimus iam agentes de libertate humana [362]. Nempe concedimus, indifferentiam iudicii esse *radicem obiectivam*, unde colligimus, voluntatem debere esse potentiam liberam, adeoque hanc libertatem reipsa exerceri, si voluntas sinatur agere modo sibi comaturali. At enim, falsum est primo, hanc indifferentiam esse formale constitutivum libertatis vel liberi exercitii: falsum est praeterea, contradictionem in eo existere, quod voluntas, stante tali indifferentia iudicii, necessitetur aliunde. Immo addimus modo, hoc reipsa futuram, si voluntas physice praedeterminaretur, atque adeo praedeterminationem id genus esse plane alienam a conaturali modo agendi voluntatis.

IV. Exceptio quarta. — Addunt etiam, praedeterminationem quam inducunt, non se tenere ex parte *actus primi* voluntatis, sed ex parte *actus secundi* dumtaxat, adeoque non spectare ad *posse*, sed ad *agere*. Hinc inferunt, dari quidem in voluntate, praecisa praedeterminatione, potentiam *possibilitatis* ad agere vel non-agere, minime vero potentiam *futuritionis*.

Haec responsio, quae forte praecipua est ad quam adversarii confugiunt, mea sententia, plura continet secum ipsa pugnantia. Dicitur enim haec praedeterminatio minime pertinere ad ipsum posse voluntatis, adeoque hoc esse integrum, seclusa praedeterminatione. Abiunde haec a suis ipsis auctoribus [575] definitur esse complementum actus primi et principii operativi creati, adeoque sine ea habemus actum primum et in ratione principii operativi incompletum. Atqui haec duo mutuo videntur se excludere. Insuper, dicitur haec praedeterminatio spectare ad ipsum agere creaturae, adeoque ad eius actum secundum. Aliunde vero, tanquam praecipuum praedicatum praemissionis istiusmodi, ea exhibetur ut aliquid natura prius ipsa operatione creaturae per modum veri principii eam instrumentaliter efficientis. Atqui haec etiam mutuo sibi invicem contradicunt. Actus enim non dicitur primus nisi

comparative ad secundum quem antecedit, atque adeo quidquid antecedit natura actum secundum, spectat eo ipso ad actum primum. * Fingere autem, optime addit I. B. De Benedictis, actum medium inter primum et secundum, est in terminis ineptum; quia est facere de secundo tertium. Sic, in omnium sententia, habitus pertinet ad actum primum: quod et expressit D. Thomas 1. 2. q. 49. a. 3. ad 1. ubi; *Habitus*, inquit, *dicitur actus primus, et operatio secundus, ut patet in 2. de Anima*: quod est verum, licet habitus supponat potentiam plene constitutam in suo posse, quam proinde iuvat ut possit non simpliciter sed facile. Similiter, applicatio agentis ad passum, v. g. ignis ad stuppam, pertinet ad actum primum proximum operativum ignis, quatenus removet distantiam impeditivam ignitionis, adeoque expedit ignem ad agendum. (Philos. Peripatet. to. 4. lib. 3. q. 3. c. 3.) Postremo, si voluntas citra praedeterminationem habet verum posse, undenam quaeo affirmari poterit, tale posse nunquam in actum proditurum? Dicitur fortasse, quia citra praedeterminationem deest necessarium praerequisitum ad agendum. Atqui praerequisita pertinent sine dubio ad actum primum proximum, adeoque ad posse, sive se habeant per modum virtutis sive per modum conditionis, quod in praesenti nihil refert, ut videre licet in duplici exemplo paulo ante allato a I. B. De Benedictis.

578. Probatio II. partis. — Ut ratiocinatio adhibenda melius percipiatur, duo praemittimus. Primo, adversarii quas habemus, nobiscum plane consentiunt in eo quod ut omnino impiam et haereticam propulsem Lutheri et Calvini sententiam asserentem, Deum ita impellere ad peccatum, ut simpliciter illius causa et auctor dici possit; quandoquidem nihil hac assertionem contrarium magis divinae sanctitati excogitari potest. Secundo, quum praedeterminationis necessitas ex eorum sententia inde repetatur potissimum, ut diximus [575], quod secus nec absolutum Dei dominium in actiones secundorum agentium satis eluceat, nec sufficiens medium existat in quo Deus certa et infallibili scientia futura praenoscat: manifeste fit conse-

quens, ut eiusmodi praedeterminationis genus quoad actiones sive bonas sive moraliter etiam malas creaturarum asseri ab ipsis debeat; siquidem duplex illa ratio aequae militat utrobique. His positis, sic ratiocinando arguimus.

Dum creaturae male moraliter agunt, si vera sit praedeterminatorum sententia, Deus pro sua libera voluntate determinat totam actionem malam, et efficit motionem irresistibilem ab eo solo procedente, ut actio creaturae in iis circumstantiis ponatur, in quibus nequit non esse peccaminosa, quin in potestate creaturae sit vel eiusmodi praedeterminationem non recipere, vel eam receptam respuere non ponendo actum peccaminosum ad quem praedeterminatur. Atqui qui sic alium ad malam actionem impellit, huius actionis per se causa *physico-moralis*, adeoque vere auctor, immo et solus auctor meritissime dicitur. Ergo si vera sit sententia praedeterminatorum, Deus causa per se et auctor peccati simpliciter dici deberet, quod certe ut rem a divina sanctitate alienissimam adversarii ipsi plane respiciunt. Huius argumenti propositio videtur constare ex ipsa natura praedeterminationis physicae, qualem ab ipsis adversariis descriptam tradidimus [575]: item ex ratiocinatione quam adhibuimus in parte praecedente, ubi ostendimus, nullum libertatis usum sub praedeterminatione creatae relinqui voluntati, adeoque solum Deum in hoc negotio operari ut agens vere liberum. Assumptio autem videtur nota ex terminis, ac procul dubio si homo sic ageret relate ad alium hominem, nemo unum ei non imputaret malam istius actionem.

Confirmatur haec ratio optime a L. B. De Benedictis hoc modo. " Non aliunde, ait, Deo repugnat movere moraliter ad actionem peccati, suadendo, instigando, hortando, nisi quia hoc pacto voluntatem inclinaret determinate ad actionem deficientem et obliquam; et per consequens ipsi imputaretur defectus et obliquitas. Atqui Deus efficaciter praemovens ad actionem peccaminosam, voluntatem determinate inclinatur ad actionem defectuosam et obliquam. Ergo ipsi pariter sic praemoventi imputabitur defectus et obliquitas. (Op. cit. c. 5. § 2.) Accedit, quod si Deus non

posset suadere id ad quod sic physice praedeterminaret, admittere oporteret in Deo voluntates duas impossibiles. Etenim, pergit arguere praelaudatus auctor: " Ex una parte, ut agens morale Deus procedit efficacissime, exigendo actum virtutis, illum praecipiendo, ad illum hortando, et simul declarando, nunquam ex sua parte desaturum, quominus voluntas creata recte operetur. Ex altera parte, ut agens physicum, praevertendo motum omnem voluntatis, ageret ex parte sua efficacissime, ne voluntas motum virtutis poneret, eam praemovendo ineluctabiliter ad motum oppositum vitii. Hinc fit, ut cum actus bonus debeat a Deo bonorum omnium auctore accipi, Deus ut causa moralis efficaciter illum a nobis exigeret, et ut causa physica efficaciter ad oppositum praemoveret: quod perinde est, ac efficaciter a nobis exigere, ut accipiamus ab ipso quod ipse voluntate antecedenti efficaciter non vult dare. Hae quidem voluntates si impossibiles non sunt, nescio quae sint aliae impossibiles voluntates. Da puerum qui rectos characteres formare non possit, nisi manum habeat a praeceptore directam: quid tu diceres de tali praeceptore, qui a puero exigeret, ut rectos characteres formaret, sed ipse dirigendo eius manum ad motum oppositum eam antecedenter impelleret? Certe is aut per iocum simularet, se velle quod non vult, aut secum ipse pugnaret. Hunc ipsum nobis Deum fingunt adversarii: quare dicendum, quod vel non possit praemovere ad actum malum, vel quod possit eundem praecipere ac suadere. (loc. cit.)

579. *Intercluditur effugium.* — Huic argumento sunt qui respondent, Deum, tametsi ad peccatum praemoveat, minime peccare, adeoque peccati non esse auctorem, propterea quia nulli legi est subditus. Sed manifeste patet, hoc esse frivolum undequaque. Nam non minus divinae sanctitati repugnat quod ipse peccet, quam quod ipse faciat ut alii peccent: insuper, etsi in casu Deus non ageret contra legem, utpote nulli subditus, ageret tamen contra *rectitudinem*, quod certe est absurdissimum. Quocirca alia est communis responsio. Dicunt nempe, Deum

praedeterminare ad *materiale*, non vero ad *formale* peccati, pro eo quantum praemovet ad actiones peccaminosas, ut sunt *actiones*, non vero ut sunt *malae*, videlicet secundum esse physicum ipsarum, quod est quid positivum, non vero ad moralem malitiam earundem, quippe quae in privato consistit. Quod si ulterius instetur quaerendo, unde fiat ut, Deo determinante causam secundam ad actionem, quatenus actio est, eliciatur actio mala, respondent, id repetendum esse ex dispositione voluntatis in qua recipitur divina motio. Haec enim secundum se semper tendit ad bonum: quum tamen *unumquodque recipiatur per modum recipientis*, sequitur bona vel mala actio, prout voluntas motionem divinam recipiens est in bona vel mala dispositione. Et addunt analogiam ductam ex tibia curva, quod est exemplum D. Thomae (*Summa th.* 1. 2. q. 79. a. 2.): sicut enim quidquid est motus in claudicatione provenit ex virtute motiva, defectus vero reducitur in tibiā, sicut in causam, sic etiam Deus est causa actus, prout actus est, non vero prout peccatum est.

Sed haec minime satisfaciunt duplici de causa potissimum. Etenim

I. Etiam creatum arbitrium non alia ratione dicitur peccati auctor, nisi quia amat ipsam actionem physicam malam eamque electivè determinat. Non vero culpatur propterea quia intendat ipsam formalem malitiam, quum nemo intendens ad malum operetur. Hinc S. Thomas: *Ipsè actus, ait, non est volitús, in quantum est inordinatus, sed secundum aliquid aliud, quod dum voluntas quaerit in talem inordinationem incurrit.* (Qq. Disp. De Malo, q. 1. a. 1. ad 2.) Quocirca, in re praesenti, non videtur esse accommodata distinctio ab adversariis adhibita inter *materiale et formale* peccati. Quum enim dicunt, Deum praedeterminare ad *materiale* peccati, id dupliciter intelligi potest. Uno modo, quatenus influxus physicus Dei praedeterminantis effectivè terminatur ad id quod positivè est in actione peccaminosa, non vero ad ipsam formalem rationem malitiae. Atqui hoc verum est de quocumque efficiente, atque adeo etiam de voluntate creata. Malum enim,

qua tale, nequit esse per se effectum vel intentum [Pr. Ph. 499; 687, IX]. Alio modo intelligitur, quatenus Deus se haberet in hoc negotio, ut cooperans *pure materialiter*, quemadmodum loquuntur Philosophi et Theologi morales, non vero *formaliter* seu *imputative*. Atqui falsum est, in hypothesi adversariorum, Deum sic se habere in actione peccaminosa, ut patet ex ipso argumento quod adhibuimus (1).

II. Displicet praeterea in allata responsione illud quod aint de voluntatis dispositione, quatenus ea specificetur praedeterminatio a Deo accepta. Imprimis enim non videtur cui prosit hic recursus, quum sermo est de actionibus intrinsece malis ex proprio obiecto quod per

(1) Egregie iterum in hac re I. B. De Benedictis. "In peccato, ait, materiale et formale non sumuntur penes aliud et aliud sive re sive rationis distinctum in ipso peccato sumpto absolute, sed solum sumpta respective per habitudinem ad diversas causas, diversos causas modos. Concurrenere enim ad materiale non est nisi concurrenere materialiter, seu per modum materiae, cuius est non determinare, sed determinari. Concurrenere ad formale est concurrenere formaliter, seu per modum formae, cuius est determinare, non determinari. Hinc primus concurrendi modus non fert imputabilitatem, quam fert secundus modus: actio enim non materiae tribuitur sed agenti, et agenti non determinato, sed determinanti. Atqui Deus ad physicum malitiae concurreit, ut primum determinans. Ergo ipsi imputabitur physicum malitiae; quod est esse peccati non causam solum physicam, sed moralem, adeoque auctorem. Haec doctrina confirmatur ex D. Thomae, qui 1. p. q. 63. a. 5. docet, Angelos peccare non potuisse in primo suae creationis instanti, quia illa operatio quae simul incipit cum esse rei, est et ab agente a quo habet esse, sicut moveri sursum incipit ignis a generante. Ex quo inferi, si Angelus peccaret cum primo est, Deum fore peccati causam. Hoc argumentum fundatur in eo quod universim illud agens est causa peccati, a quo est operatio imputabiliter, quatenus est ab ipso, ut a dirigente, ordinante, et inclinante. His ergo modis Deo concessis relate ad culpam, inevitabile est quod ipsi culpa tribuatur. Omnes autem isti modi conveniant Deo ineluctabiliter praeventi ad peccatum. Ergo est vera peccati causa et auctor. Neque video illum adversariorum effugium, quod nostram rationem eludere conantur, quod pariter non infringat argumentum D. Thomae. (loc. cit.)

se ipsae respiciunt, ut est ex. gr. formale odium Dei. Praeterea, nemo non videt, eo respondendi modo minime solvi argumentum factum, sed alio transferri, scilicet ad hanc ipsam voluntatis dispositionem. De hac enim quaerere licebit, undenam effecta fuerit. Nec certe ea *imputabiliter* tribui potest voluntati, etsi in ipsa sit, sicut in *causa materiali seu subiectiva*. Ut enim ex praecedentibus patet, in signo priori ad praedeterminationem non existit in voluntate potestas ulla electiva sive agendi sive etiam non agendi: omnis vero imputabilitas eiusmodi electivam potestatem subaudit. Exemplum vero illud de tibia claudicante, ea quae dicimus confirmat, nedum infirmat. Ad rem I. B. De Benedictis, quem pluries in praesenti quaestione laudavimus, egregie siquidem eam undequaque versat. " Si virtus, ait, motiva animalis ea esset, quae tibiam per se indifferentem ad motum rectum et obliquum, ipsa per se impelleret ad motum potius obliquum quam rectum (ut videre est in iis qui data opera claudicant), evidens est, quod non solum motus, sed obliquitas in virtutem motivam refundereetur. In tantum enim de facto obliquitas in virtutem non reicitur, in quantum impulsus ab ea manans per se est ad motum rectum. Quare si ille idem impulsus in tibia recta receptus esset, rectus motus processisset. Tribuitur itaque obliquitas tibiae, quia ab ea curva et defectuosa motus primum obliquatur. At in sententia praedeterminantium impulsus divinus recipitur in voluntate adhuc indifferenti ad motum rectum et obliquum, ad actum scilicet virtutis et vitii: haec autem indifferentia a Deo primum determinatur ad motum obliquum per impulsum ad talem motum essentialiter determinantem. Ergo non voluntas est quae se obliquat a motione divina, sed motio divina est quae voluntatem a divinae legis semita detorquet; et per consequens obliquitas non voluntati tribuenda, sed Deo. " (*loc. cit.*)

580. *Probatio III partis.* — Huc usque expendimus divinam motionem actioni creaturae praeviam, prout ei conveniunt illa tria simul praedicata quae ante commemoravimus [575], ut est scilicet aliquid ipsi vi-

tuti creatae intrinsicus inhaerens, a solo Deo procedens, ac creaturae activitalem physice ad unum praedeterminans. Quum vero posset quispiam huius rei cruditate sic emollire, ut relinquit priora duo praedicata, reiecto tertio, operae pretium erit, paucis ostendere, etiam praemotionem physicam istiusmodi, contingibilem scilicet cum utrolibet libertatis extremo, repudiari debere. Huius asserti duplex existit praecipuum argumentum.

I. Haec praevia motio postulari potest vel ex parte Dei, ad tuendam scilicet essentialem dependentiam operationis creaturarum a divina virtute: vel ex parte ipsius potentialitatis quae rehaeret in virtute cuiusque creaturae, tametsi constituta dicatur in actu primo proximo suae operationis; praemotio enim de qua hic loquimur, necessaria dicitur, ut ex tali actu primo proximo virtus creata perducat ad secundum seu operationem. Atqui neutrum dici potest. Non primum. Ut enim manifeste patet ex his quae in sectione praecedente stabilivimus, haec dependentia ipsius operationis creaturae a virtute divina immediata sit oportet, quatenus scilicet ipsa creaturae operatio per se et secundum se debet esse a divina virtute, ut a suo proprio, tametsi non unico, principio effectivo; minime vero sic concepi aut debet aut potest, quatenus ea procedat ab aliqua re *effecta* quacumque, qua mediante referatur ad virtutem divinam. Atqui praemotio de qua loquimur, in quocumque genere colloquitur, est res quaedam et ipsa a Deo *effecta*. Ergo dependentia operationis creaturae a tali praemotione non ea est quam essentialiter et per se postulat ipsa creaturae operatio a divina virtute; atque adeo minime potest eo titulo postulari. Nec alterum dici potest. Nam ex eo quod causa aliqua adhuc sit in potentia, recte quidem colligitur, eam debere ab alio moveri iuxta illud effatum, *Omne quod movetur, ab alio movetur*, sed minime ex aequo requiritur, quod id fiat per *motionem praeviam*. Si enim agatur de facultate activa in suo actu primo completa, sufficit et exigitur, ut sic moveatur ab alio, quod etiam ipsa huic motioni cooperetur. Atqui talis motio non est praevia, ut patet ex terminis,

sed cooperativa. Confer quae alibi diximus [Pr. Ph. 573] (1).

II. Si consequenter loqui velimus, non potest haec praevia motio obtrudi, quin necessaria consecutione deveniat ad praedeterminaciones Bannesianas. Nam voluntas si, recepta istiusmodi praevia motione, dicatur manere indifferens respectu utriusque libertatis extremi, ex. gr. respectu huius determinati velle *A*, et huius determinati nolle *B*, evidens est, eam in sensu composito praemotionis

(1) Huius assertionis valem luculentissimum proferimus Caietanum, eo praesertim consilio, ut pateat, qua ratione divina motio in creaturis concipiatur multo ante exortas controversias Bannesianas inter et Molinam. Nemo autem dicit, Caietanum in scriptis Doctoris Angelici parum digne versatum. Hic itaque celebris Thomista in l. p. q. 19. a. 8. versat quaestionem, utrum quidpiam contingenter eveniret in absurda hypothese, quod Deus necessario ageret, sic tamen ut externa actio ipsius eiusdem esset indolis ac nunc est. Sic autem refert argumenta quibus Scotus negative respondebat huic quaestioni:

* Prima ratio et potissima quae movit Scotum, haec est. Causa movens, in quantum mota, si necessario movetur, necessario movet. Sed omnis causa secunda est movens, in quantum mota a prima. Ergo si necessario movetur, necessario movet... Et prob. minor, quia nulla causa secunda agit aliquid, nisi in virtute Primae. Secunda ratio est. Prima causa prius naturaliter respicit effectum, quam quaecunque alia causa. Ergo, si necessario causat, omnis effectus in illo priori habet necessariam habitudinem ad ipsam. Ergo nullus effectus fit contingenter. Ita Caietanus. Patet autem, hunc locum esse opportunissimum, ubi Scoto in ea quaestione contradicens explicet, quo sensu causae secundae dicantur agere ut motae a Prima, et in virtute Primae, quae sunt duo quasi axiomata, quibus Praemotores suam praemotionem tanquam in solidissima basi superstrui solent. Audiatur itaque Caietanus sic inquires.

* Ad primam autem rationem Scoti multipliciter responderi potest. Primo distinguendo *ly mota, seu ly movetur*. Dupliciter enim contingit secundam causam moveri a Prima. Uno modo motione propriae actioni, sicut baculus movet lapidem motus a manu: alio modo, motione cooperativa intrinsecae propriae actioni. Et quidquid sit de maiore in primo sensu, in secundo tamen est falsa, in quo tantum verificatur minor (nempe, ORTUS CAUSA SECUNDA EST MOVENS, IN QUANTUM MOTAE A PRIMA). Non enim oportet cum aliquis null aliquid, seu cum eod illuminat, primam Causam praevia motione cooperari, sed sufficit et exiguit, eam intrinsecae cooperari tali electioni, et illuminationi; et hoc, qua cooperatio in utroquoque est secundum na-

receptae manere adhuc indifferenter et in potentia tum respectu unius tum respectu alterius actus. Si itaque ex tali indifferentia et potentialitate inferre licebit necessitatem alicuius praeviae motionis; legitima consecutione dicendum foret, adhuc posita illa praemotione indifferente, superaddi debere aliam divinam praemotionem, qua feratur voluntas ad unum potius actum, quam ad alium, quod tantumdem valet ac in medium proferre, non simplicem

turam uniuscuiusque; sic enim disponit omnia suaviter. Unde sive necessario, sive libere cooperetur Deus, nihilominus creata voluntas libere utitur illa cooperatione. Secundo, distinguendo *ly in quantum mota*, quoniam potest denotare causam praecisam, et potest denotare concausam. Et si quidem denotet causam praecisam, minor est falsa; non enim causa secunda movet ob hoc praecise, quia movetur, sed etiam ex virtute propria: si autem denotet concausam, maior est falsa. Quoniam stat, causam secundam necessario moveri a Prima, et cum hoc ipsum moveri modificali ex natura causae secundae, et sic movere causae secundae provenit non ex moveri tantum sed ex moveri et modo proprio ipsius causae secundae: ex tali autem modo consurgere potest, quod non necessario movet, ut patet in causis defensibilibus. Illa autem propositio adiuncta, scilicet *causa secunda non agit nisi in virtute Primae*, non iuvat: quoniam non est sensus, quod causa secunda nullam virtutem habeat nisi Primae, sed quod ipsa secunda nullum effectum producat, nisi virtute Primae concurrente et coniungente virtutem secundae suo effectui, quoniam PRIMA OMNIA ATTINGIT IMMEDIATEM VIRTUTEM, ut in q. 8. declaratum est.

* Ad secundam vero rationem dicitur, quod prima consequentia nihil valet. Quoniam Prima causa non attingit effectum secundae causae in seipsa, sed modificata cooperatione sua iuxta modum ipsius causae secundae, et propterea effectus causae secundae in illo priori habet necessariam habitudinem ad Primam, sed solummodo assumpta (scilicet, CAUSA PRIMA PRIUS NATURALITER RESPICIT EFFECTUM QUAM QUAEQUOQUE ALIA CAUSA), non est sic intelligenda, quasi sit aliqua duratio naturae, in cuius primo instanti Causa prima respiciat effectum, et in secundo causae secundae; VERUMILITATEM ENIM HOC EST SENSUS, EX QUO TAMEM CONSEQUENTIA PROCESSIT VERTUTIBUS; sed est intelligenda quoad independentiam et infinitatem: attingit enim Prima causa effectum secundae et independentes et intimius, quam secunda, ut patet in princ. libr. de Causis, ET PROPTEREA DICITUR RESPICERE PRIUS. Ex hoc autem sensu nihil consequentiam valere patet. Huc usque Caietanus.

praemotionem, sed verissimam et physicam praedeterminationem. Quod si dicatur, id minime requiri, quia voluntas est quidem in potentia et indifferens, sed in *potentia et indifferentia activa*, adeoque semetipsam posse flectere ad unum actum prae alio; eccc non idem dicatur de quacumque praevia motione, ceteris tamen suppositis praerequisitis ad volendum? *non enim potest esse voluntas praedeterminata non ratione, sed ratione et appetitu*

SECTIO X.

Indifferentia et sufficientia concursus simultanei plenius declaratur et vindicatur.

581. **Concursus divinus in actu primo, et in actu secundo; active et passive spectatus.** — Priusquam diluamus quae in favorem motionis, in praecedente sectione rejectae, acervantur, praesiat doctrinam de concursu simultaneo paucis expolire. Imprimis itaque revocanda est in memoriam distinctio inter actionem divinae potentiae, prout huiusmodi, et actum seu decretum divinae voluntatis. Haec eo redit, prout alibi cum D. Thoma animadvertimus [508, III], ut potentia divina concipiatur quasi *execuens id quod voluntas imperat et ad quod scientia dirigit*. Hinc, etiam in re praesenti, secundum modum intelligendi nostrum, distinguere oportet decretum divinae voluntatis quasi applicativum divinae potentiae ad concurrendum, et ipsum actuale influxum quem divina potentia exerit ad hoc decretum exequendum. Illud ab aeterno, hoc vero in tempore Deo attribuitur. Concursus priori modo consideratus appellari solet *conkursus in actu primo*, sive etiam *oblativus*; alio vero modo si spectetur, dicitur *conkursus in actu secundo*, seu *actu exercitus*, vel etiam *conkursus*, absolute et simpliciter. Quum vero omnis divina actio ad extra spectari possit et debeat dupliciter, active scilicet

seu formaliter, et passive seu terminative, hinc etiam haec distinctio in actione qua divina potentia actu concurrat, usurpari potest et debet. Active seu formaliter considerata est Deo immanens ac sola ratione ratiocinata distinguitur a divina substantia; passive autem seu terminative considerata est ipsamet transcendentalis relatio dependentiae quam creaturae operatio dicit ad divinam virtutem, ut ad suum principium immediate effectivum. Quemadmodum porro divinus concursus active consideratus connotat in obliquo eundem concursum spectatum passive, sic vicissim si passive consideretur, in obliquo importat ipsummet divinum concursum active inspectum. Brevi: haec invicem comparantur, proportionem servata, quemadmodum *creare et creari* [539].

582. **Diversa habitu operationis creaturae, prout ad virtutem ipsius, vel ad divinam virtutem comparatur.** — Est praeterea diligentissime notandum ad plura sophismata hac in re diluenda, aliud esse omnino, quod aliquis effectus, quicumque ille sit, ab agente procedat, tametsi immediate, ut a CAUSA PRODUCENTE, ac ab eo procedere, tamquam a CAUSA DETERMINANTE SEU ELIGENTE. Nam prior denominatio significat meram effectus emanationem ab alio, ut a causa efficiente immediata; altera vero denominatio connotat praeterea in causa a qua active procedit, indifferentiam activam quae spectat ad actum primum completum causae libere agentis. Nempe ab eo aliqui procedit, ut a causa eligente seu determinante, quod ita ab ea procedit, ut sit sub dominativa potestate ipsius etiam non procedere. Ex quo duo facile inferuntur. Primo quidem, unum eundemque effectum secundum se totum procedere posse a duplici causa immediate agente, *una tamen dumtaxat eligente*. Exemplo esse potest actus charitatis infusae, qui, quum sit secundum se totus et volitus et amor infusus, secundum se totus etiam est effective tum a voluntate, tum a principio supernaturali, puta ab habitu charitatis: attamen electiva est a voluntate, non a charitatis habitu, praesertim si spectetur respectu peccati oppositi, quod ut quis devilet in actum

charitatis libere prorumpit. Ratio est, quia indifferentia dominativa quae est de ratione principii libere agentis, invenitur in sola voluntate, minime in habitu charitatis. Intelligitur secundo, electionem seu determinationem liberam, formaliter si spectetur, ut scilicet electio est seu libera determinatio, nullam novam entitatem superaddere debere supra ipsam entitatem actus qui producitur: connotat enim dumtaxat in causa eligente seu determinante indifferentiam quam diximus. Et ratio manifesta est omnino. Fac enim, electionem debere esse actum quandam distinctum ab ipso velle libero: ex necessaria consecutionis ratione oporteret fingere novum actum quo istiusmodi electio eligeretur, et sic porro; quod certe risibile est. Hinc alibi cum Doctore Angelico [355, IV] diximus, non nisi ratione distinguimus in voluntate *consensum, usum, et electionem* respectu unius eiusdemque velle liberi. Ex quo iam patere potest manifesta ignoratio elenchi in quam impingunt illi omnes qui imaginantur, in nostra sententia subtrahi ab immediata influentia divinae virtutis actum ipsum quo libere volumus, propterea quia fatemur, eiusmodi actum proxime, *tanquam a causa eligente*, non esse ab alio, sed ab ipsa creaturae liberae, voluntate. Sed hoc melius patebit ex sequentibus.

583. *Qualis sit indoles decreti quo applicat Deus suam potentiam ad concurrendum cum causis libere agentibus.* — Praedicta duplici distinctione in antecessum explicata, in qua ratione nos divinum concursum conciliamus, sive cum libero exercitio creatae voluntatis, sive cum divina sanctitate, quae sunt binae difficultates initio propositae [574], et ad quarum solutionem praesentem controversiam ventilandam suscepimus de modo divinae motionis.

I. Iam agere, principio fatemur, nihil plane unquam et uspiam produci posse a causa creata cuiuscumque ordinis sine voluntate Dei liberrime praeconcepta et immediate versante circa entitatem ipsam producendam. Nequit enim supremum agens et a nullo dependens agere, nisi volens et se ipsum libere ad agendum applicans. Ut itaque ope-

ratio creaturae in actu exeri valeat, tamquam necessaria conditio essentialiter praerequisita postulatur, ut divina omnipotentia intelligatur ope divini decreti parata ad concurrendum; nec sine tali decreto illius existit actus primus proximus cuiusque causae efficientis respectu propriae operationis. Hoc porro decretum, ut paulo ante diximus, est ipsemet divinus concursus in actu primo. Quare concursus divinus, hoc modo consideratus, merito adnumeratur inter *praerequisita ad agendum*, tametsi concursus in actu secundo referatur ad ipsam creaturae operationem adeoque ad actum secundum ipsiusmet virtutis creaturae.

II. Si sermo sit de causis naturalibus non libere agentibus, nihil prohibet, quominus hoc decretum divinae voluntatis sit metaphysice connexum cum effectu determinato; in his enim actus secundus determinatus per se connectitur cum actu primo proximo. Sed non idem dici potest de causis libere agentibus, eo ipso quod sint eiusmodi. Nam tale decretum debet esse cohaerens cum libero exercitio creatae voluntatis: supponimus enim, Deum velle operari modo conaturaliter conformi voluntati libere agentis. Atqui si tale decretum importaret determinationem unius extremi prae alio, adeoque inconiungibile, foret cum utroque, minime cohaereret cum libero exercitio creatae voluntatis. Ergo tale decretum non potest esse eiusmodi. Minor probatur ex dictis. Nam hoc decretum se tenet ex parte actus primi liberi exercitii. Alqui est de ratione liberi exercitii, ut actus primus proximus sit indifferenter coniungibilis cum utrolibet liberitatis extremo. Ergo talem indifferentiam habere debet etiam decretum quod consideramus. Ad rem Angelicus. * *Deus operatur in omnibus, ita tamen quod in unoquoque secundum eius conditionem.* Unde in rebus naturalibus operatur, sicut ministrans virtutem agendi, et sicut determinans naturam ad talem actionem: in libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret, et ipso operante liberum arbitrium agat: *sed tamen determinatio actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur.* Unde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita, sicut primo agenti. , (2. *Dist.* 25.

q. 1. a. 1. ad 3.) Elsi porro hoc loco S. Doctor agat de ipsa operatione divina ad extra, manifeste tamen declarat modum ipsum divinae voluntatis; sic enim Deus vult operari, quo modo operatur.

III. Elsi hoc decretum res sit simplicissima, ut tamen ipsius fentiamt aliquo verborum circuitu, ad nostram tarditatem accommodato, explicare valeamus, hoc vel alio modo consimili designari potest. *Volo efficaciter libertatem creaturae proxime expeditam ad bonam et malam operationem, ut bonam, quam unice intendo et procuro, libere et merito ponat; ideoque nolo ex propria determinatione impetire malam, quam tamen minime approbo, sed serio detestor ac prohibitam manere volo.* Ex quo plura patent quae ad rem nostram faciunt oppido. Primo, decretum eiusmodi esse efficac, quantum ad applicationem omnipotentiae indifferentem in actu primo, quae scilicet relinquat in potestate voluntatis determinationem in actu secundo: non tamen esse efficac, quantum ad inferendam infallibiliter operationem bonam prae mala. Secundo, illud nulla ratione esse volitionem *intentionem* seu *approbativam* operationis malae, sed *detestativam* potius. Est tamen volitio *permissiva*, permissione quidem facti, non iuris. Quocirca operatio prava ponitur praeter, inimo contra intentionem Dei, etiam ut formaliter includitur in tali decreto applicativo (1). Tertio manifestum fit, nihil admodum deperire

(1) S. Bernardus haec quae dicimus, videtur graphice descripsisse sic inquitens. *Soli inter animantia datum est homini posse peccare ob praerogativam liberi arbitrii: datum est autem, non ut proigant peccaret, sed ut gloriosior appareret, si non peccaret, cum peccare posset.... Neque tamen fuit culpa dantis, sed abutentis, qui ipsam videlicet facultatem convertit in usum peccandi, quam acciperet ad gloriam non peccandi. (De gratia et libero arbitrio, prope med.) Gemina habet totius scholae antesignans B. Anselmus Cantuariensis. Imprimis enim ponit hoc generale principium, loquens de bonis et malis. *Facit igitur Deus omnia, quae iusta vel iniusta voluntate fiunt. In bonis quidem facit quod sunt et quod bona sunt; in malis vero facit quod sunt, sed non quod mala sunt. (De concordia prae-

de libero exercitio voluntatis creatae ex vi huius decreti: constituit siquidem actum primum proximum voluntatis creatae indifferenter coniungibilem cum utroque libertatis extremo. Quod si cupiam difficile videri poterit, quo pacto virtus creatae voluntatis ac virtus divinae potentiae simul in actu secundo coniungantur ad unam eandemque operationem producendam, recolare iuvat quod paulo ante [582] meminimus de habitu qui simul effective concurret cum voluntate ad eundem actum volitionis exerecendum. *Sicut enim, ait Lessius, habitus ita coniunctus est voluntati, ut eius influxus in actum sit in potestate voluntatis: ita Deus se eo modo voluntati accommodat et coniungit, ut concursus et influxus eius sit in voluntatis potestate. Cum enim intime sit praesens rebus omnibus, easque suo substantialifico influxu conservet, omnibus esse et vigorem impertiens, non est ei difficile, ita se illis attemperare, ut una cum illis operetur easque iuvet. (De Perfectionibus Divinis, lib. 10. c. 4. n. 18.) Postremo fit etiam manifestum, Deum physice quidem et immediate cooperari ad operationem moraliter malam creatae voluntatis, hanc tamen cooperationem esse *pure materialem*, nec propterea ei *imputari* posse peccata nostra. Sola enim creata voluntas in pravis operibus se habet ut causa determinans, praeter et contra divinum beneplacitum. *Ratio culpae*, ait Angelicus, *in actu deformi est ex hoc, quod procedit ab eo qui habet dominium sui actus: hoc autem est in homine secundum illam potentiam quae ad plura se habet, nec ad aliquid eorum determinatur nisi ex seipsa, quod tantum voluntati conceit.* (2. Dist. 39. q. 1. a. 2.) Exemplo

scientiae etc. versus finem.) Discutiens vero ex professo quam ob causam Deus haberi non possit quasi auctor operationis malae (Lib. De casu diaboli, c. 28.), ac speciatim expendens, quomodo fuerit a Deo illud velle quo diaboli a iustitia recessit, ut totius explanationis principium hoc praemittit. *Non solum hoc habet aliquis a Deo, quod Deus sponte dat, sed etiam quod iniuste rapit, Deo permittente. Et sicut dicitur Deus facere quod permittit fieri, ita dicitur dare quod permittit rapit.*

esse poterit sacerdos, cui nulla ratione imputatur peccatum illius qui publice ad sacram synaxim accedit ore sacrilego, tametsi tale sacrilegium ei forte ex confessione notum fuerit, nec sine physico ipsius concursu committatur.

581. **Quotuplici ratione Deus haberi debet ut principium movens respectu creaturae operantis.** — Ex his omnibus quae in hac et sectione praecedente disputavimus concludere licebit diversos modos quibus Deus creaturam movet ad operandum et in operando: modos inquam generales qui ipsi conveniunt *ut naturae auctori et gubernatori*. Ad quatuor apte revocantur.

I. Primus modus habetur in creaturarum productione, in qua a Deo recipiunt naturalem virtutem agendi una cum esse in quo ipsae subsistunt. Quod autem recte creatura a Deo *moveri* dicatur propterea quod ab eo accipit naturam eiusque facultates, eleganter declaravit Angelicus his verbis, "Necessitas naturalis inhaerens rebus qua determinantur ad unum, est impressio quaedam Dei dirigentis ad finem; sicut necessitas qua sagitta agitur ut ad certum signum tendat, est impressio sagittantis et non sagittae. Sed in hoc differt, quia id quod creaturae a Deo recipiunt, est earum natura; quod autem ab homine rebus naturalibus imprimitur, praeter earum naturam, ad violentiam pertinet." (*Summa th. 1. p. q. 103. a. 1. ad 3.*) Vide aliud pulcherrimum testimonium eiusdem S. Doctoris quod alibi excriptimus [*Pr. Ph. 662*]. Etsi vero hic sermo sit de creaturis naturaliter agentibus, id etiam locum habet in ipsa voluntate, pro eo quantum ipsa operatur ut natura, non vero ex libera optione: omnis siquidem operatio libera fundatur in appetitu innato voluntatis in bonum. Quare idem Angelicus sic alibi loquitur, "Omnia quae sunt in toto mundo, aguntur ab aliquo, praeter primum agens quod nullo modo ab alio agitur... Et ideo non est inconveniens, si Angelus agatur, in quantum inclinatio naturalis est sibi indita ab Auctore suae naturae." (*Summa th. 1. p. q. 60. a. 1.*)

II. Secundo, Deus dicitur esse principium operationum creaturarum easque ad agendum movere, ob iugem in-

fluxum divinum quo ipsarum virtus conservatur in esse. Ut enim ait Angelicus: *Sic se habet ad esse rerum operatio divina, sicut motio corporis moventis ad fieri et moveri rerum factarum vel motarum.* (3. *Cont. Gent. c. 65.*) Et paulo inferius, "Manifestum est, quod omnis actio quae non potest permanere, cessante impressione alicuius agentis, est ab illo agente; sicut manifestatio colorum non potest esse, cessante actione solis quae aërem illustrat: unde non est dubium, quin sol sit causa manifestationis colorum; et similiter patet de motu violento, qui cessat, cessante violentia impellentis. Sicut autem Deus non solum dedit esse rebus cum primo esse incoeperunt, sed quamdiu sunt esse in eis causat res in esse conservans, ut ostensum est; ita non solum quum res primo conditae sunt, eis virtutes operativas indidit, sed semper eas in rebus causat; unde cessante influentia divina omnis operatio cessaret. *Omnis igitur rei operatio in ipsum reducitur, sicut in causam.*" (*loc. cit. c. 67.*)

III. Tertius modus habetur ex eo, quod Deo attribueri oportet, *ut primo et principali agenti*, applicationem ad agendum quae in omni virtute creata praerogitur ut possit operari. Haec porro applicatio diversa est pro diversitate agentium. Vel enim sermo est de agente inanimato, vel de agente animato. Illud quidem eatenus alia movet, quatenus in signo naturae primum ab alio movetur motu aliquo sive locali tantum, sive locali cum alteratione aliqua coniuncto [147]. In agentibus vero animatis, vel spectantur potentiae activae, ut sunt vires vegetativae et intellectus agens, vel potentiae passivae, cuiusmodi sunt potentiae omnes intentionales. Illae ut operari possint, necesse est, eis applicetur materia in quam operentur. Vires autem intentionales apprehensivae praemoveri debent a propriis obiectis, sive ratione speciei intentionalis quam recipiunt, sive ob praeviam cognitionem quae est principium cognitionis subsequentis, ut videre licet in intellectu discurrente. Vires autem intentionales appetitivae et ipsae applicantur ad agendum per cognitionem praeviam qua eis proponitur bonum appetibile.

Hae omnes igitur applicationes ad agendum, tametsi fiunt per alias causas secundas, *primo* tamen et *principaliter*, ut ceterae operationes earumdem, tribui debent Deo, qui propterea haec etiam ratione unumquodque agens dicitur ad agendum movere. Ad rem S. Thomas. * Quidquid applicat virtutem activam ad agendum, dicitur esse causa illius actionis; artifex enim applicans virtutem rei naturalis ad aliquam actionem, dicitur esse causa illius actionis, sicut coqus decoctionis quae est per ignem. Sed omnis applicatio virtutis ad operationem est *principaliter* et *primo* a Deo. Applicantur enim virtutes operativae ad proprias operationes per aliquem motum vel corporis vel animae. Primum autem principium utriusque motus est Deus: est enim primum movens omnino immobile, ut supra lib. 1. c. 13. ostensum est; et similiter omnis motus voluntatis quo applicantur aliquae virtutes ad operandum, reducitur in Deum, sicut in primum appetibile et in primum volentem. Omnis igitur operatio debet attribui Deo *sicut primo et principali agenti*. (3. *Cont. Gent.* c. 67.)

IV. Quartus modus quo Deus creaturam movet, etueet in ipso concursu quo eius operationi cooperatur, ut expresse notavit Calelanus quem ante citavimus [580, nota]. Etiam haec motio habet rationem cuiusdam applicationis ad agendum, tametsi non praevia. Ratio petitur ex his quae ante [573, II] diximus. Sic enim ipsa creaturae operatio a divina virtute attingitur *sub ratione entis*, nec sine tali influenza intelligi potest quod ea operatio sit in natura rerum, sive, quod perinde est, *actu suat a virtute creaturae*. Operatio proinde Dei concurrentis ratio est quamobrem creaturae virtus intelligatur coniuncta suae operationi; talis quippe coniunctio nihil est aliud, nisi *ipsam fluere* operationis a virtute creaturae. Patet autem eiusmodi coniunctionem recte dici applicationem: *applicare* siquidem tantumdem valet ac *connectere*, *adiungere*, *sociare*.

V. Addit postremo S. Thomas loc. cit. *Cont. Gent.* quintum modum, quo Deus est causa actionis omnium rerum, quae propterea *in virtute divina* agere dicuntur; et in eo consistit, quod operationes rerum omnium a Deo

ordinantur ad finem quem eius providentia singulis praestituit. Ut patet, hoc nihil addit supra alios quatuor modos huc usque recensitos, nisi quod actio Dei moventis spectatur, prout substat ordinationi divinae sapientiae qua fit, ut nihil casu fortuito in hoc mundo accidat, sed ob finem totius operis divinae creationis et gubernationis.

583. *Notatu digna in doctrinam proxime traditam.* Ut vero haec quae proxime diximus, penitus intelligatur, tria notare oportet, quoad tertium modum praesertim quo creaturae dicuntur a Deo *applicari ad agendum*.

I. Quod attinet igitur ad hunc modum applicationis quem paulo ante [584, III] descripsimus, dupliciter Deus movet. Primo quidem, in genere causae finalis, seu ut *primum appetibile*, ut loquitur Angelicus. * Quum enim, ait alibi, omnis operatio sit propter aliquod bonum verum vel apparens; nihil autem est vel apparet bonum, nisi secundum quod participat aliquam similitudinem summi boni quod est Deus; sequitur, quod ipse Deus sit cuiuslibet operationis causa, ut finis. (*Summa th.* 1. p. q. 105. a. 5.) Secundo vero, in genere causae efficientis, seu ut *primum volens*, ut dixit idem Angelicus l. c. Divina siquidem voluntas est prima causa efficiens rerum omnium, atque adeo huius etiam applicationis quam consideramus. Differt vero hic duplex movendi modus, prout differt motio *finalis* a motione *causae efficientis*.

II. Descripta applicatio, etsi a Deo est, ut a *primo et principali* agente, non tamen oportet, concipiatur quasi motus virtuti causae secundae inherens a *solo* Deo effective procedens. Plerumque enim haec applicatio consistit in motu quodam vitali, ut patet in potentiis intentionalibus appetitibus, quae applicantur ad agendum media cognitione praevia. Repugnat vero, ut motus eiusmodi concipiatur, a solo Deo effective procedere. Sic Doctor Angelicus, quum sermonem instituit de praevia motione qua voluntas applicatur ad volendum, eam reponit in prima cognitione et volitione beatitudinis, quae non subest liberae deliberationi sed naturaliter enique innascitur: ut patet ex his quae tradit *Summa th.* 1. p. q. 109. a. 2.

ad 1.; 1.^{ae} q. 9. a. 4. corp., a. 6. ad 3.; Qq. Disp. q. 6. *De Malo*, a. un.; 4. *Dist.* 49. q. 1. a. 3. solut. 2.; *Quol.* 1. a. 7. et alibi saepissime. Patet autem, hanc primam cogitationem et volitionem, esse motum quemdam vitalem, tametsi indeliberatum, qui propterea repngnat, a solo Deo effective procedat. Aliquid etiam huic rei simile contingit in primo et altero modo quo Deus dicitur movere causas secundas ad agendum, quatenus scilicet est auctor et conservator virtutis activae qua pollent; plura enim existunt quae a Deo una cum causis secundis in esse producentur et conservantur.

III. Hinc patet ulterius, quo pacto haec applicatio quae mediantibus secundis agentibus a Deo procedit, quo pacto, inquam, dicatur *praevis* operationi creaturae, atque adeo per modum cuiusdam *praemotiois*. Nimirum spectari potest vel in ordine ad operationem causae secundae, puta intellectus, per quam Deo cooperante haec applicatio efficitur, vel in ordine ad operationem consequentem, puta voluntatis. Priori modo considerata, non est quid praevium, sed per eam operationem formaliter constituitur. Alio modo spectata, revera est quid praevium, utpote spectans ad actum primum talis operationis. Divinus proinde influxus in tali applicatione non est aliquid superadditum concursui Dei simultaneo *adequate inspecto*, ut scilicet exerceret quoad omnes actiones secundorum agentium. Nihil autem vetat, quominus concursus ille qui est simultaneus relate ad unam operationem, dicatur praevius respectu alterius operationis consequentis. Differt itaque hoc praemotiois et applicationis generis a praemotione et applicatione quam in praecedente sectione reprobavimus, ut caelum a terra.

Solvuntur difficultates.

586. *Obiectio I.* — Omnis causa determinans subordinat sibi causam determinatam. Atqui, in exposita sententia,

voluntas creata se habet, ut causa determinans divinum concursum; Deus vero ut causa determinata. Ergo Deus subordinaretur creaturae, quod profecto nulla ratione concedi potest.

Respondeo. *Nego maiorem.* Patet eius falsitas in obligatione morali. Nihil enim prohibet, quominus Deus, ex fidelitate suae liberae promissionis, obligetur ad aliquid, puta ad gloriam dandam, consequenter ad opus meritorium libere a creatura praestitum. Per hoc autem Deus nullo modo subordinatur creaturae, quia tandem aliquando haec obligatio, tametsi proxime determinetur a creatura, ultimato tamen oritur a libera Dei promissione. Similiter in casu nostro, etsi concursus in actu secundo a voluntate creaturae determinetur, id tamen voluntas non habet nisi a Deo hoc ipsum liberaliter concedente, per suum decretum scilicet quo omnipotentiam ad concurrendum applicat. Et universim loquendo, non potest dici superior subordinatus inferiori determinanti, ubi inferior eiusmodi determinationem non praestat, nisi in virtute facultatis a superiore acceptae.

Instabis. Creatura in hoc negotio se haberet, ut prima causa determinans. Atqui unus Deus est prima causa simpliciter. Ergo nequit consistere modo tradita explicatio.

Respondeo I. *Permiso antecedente, nego consequentiam.* Manifeste committitur in hac rationatione fallacia *dicti simpliciter et secundum quid*. Nam prima causa simpliciter, ut est Deus, ea dicitur quae aliam causam non supponit. Nihil vero huiusmodi in tradita explicatione tribuimus voluntati creatae. Etsi enim operatio ab ea sit, sicut a causa determinante seu eligente, principalis tamen est a Deo, ut a causa producente: ipsum praeterea actum primum huius determinationis voluntas a Deo habet illis omnibus modis quos paulo ante declaravimus.

Respondeo II. *Dist. mai.* Voluntas creata se habet, ut prima causa determinans respectu actionis pravae, *conseq.*; respectu actionis bonae, *neg. Contradist. min. Neg. conseq.* Nullum profecto absurdum cernitur in eo quod creata voluntas habeat talem primatum in actionibus pravis, immo

est plane necessarium: id enim perinde est ac voluntatem creatam esse primam causam deficientem. Quod vero spectat actiones bonas, etsi haec proxime sunt ab ea, ut a causa determinante; prima tamen determinatio actionis bonae est a divina voluntate illam extrinsecè et aeternaliter intendente, in decreto scilicet quod consequenter ad scientiam mediam praesentem rerum ordinem prae alio praedefinivit.

Institibus rursus. Deus physice et immediate producit ipsam determinationem qua voluntas creata unum alteri praeoptat. Ergo voluntatem ipse determinat physice et immediate.

Respondeo. *Conc. antec., nego consequentiam.* Egrege in hanc rem L. De Lossada. * *Denominatio determinantis*, ait, convenit illi soli principio, quod in signo priori libertatis supponitur proxime potens omittere actionem vel elicere oppositam: non autem principio illi, quod licet vere infuat, tamen vel non est capax talis potestatis, cuiusmodi est habitus acquisitus vel infusus; vel in eo priori signo intelligitur nolens uti potestate illa, sed potius volens se attemperare principio alteri, quo modo se habet Deus in signo priori nostrae libertatis vi decreti indifferentis. Ex hac principiorum diversa indole vel praeparatione oritur etiam, quod eadem utriusque actio tribuat alteri prae altero denominationem *vicentis, merentis*, etc.: sicut etiam in physics, quod eadem causalitas, quae realiter est actio et passio, unum sui principium reddat ac denominet *agens*, alterum *patiens*. Ut ergo habitus non concurrat ad amorem liberum nisi ex determinatione voluntatis, quae tamen determinatio ab habitu efficitur et ipsum denominat *agentem*, licet non *determinantem nec amantem*, etc.: sic in omnipotentia, prout applicata per decretum indifferens, discurrendum. Concedimus itaque libentissime illud D. Thomae l. p. q. 105. a. 1. ad 3.; *Hoc ipsum quod causae secundae determinantur ad determinatos effectus, est illis a Deo.* Negamus tamen, in causis liberis, esse a Deo determinante: sicut hoc ipsum quod meremur, est nobis a Deo, et tamen non est a Deo merente. Quod ergo causa libera determi-

netur, est illi a Deo agente, et insuper, si determinatio bona est, a Deo intendente, auxiliante, et in signo libertatis suae praedefiniente., (*Cursus Philos.* to. 6. tr. 2. Disp. 8. c. 4. n. 14, 15.)

Obiectio II — Absolutum Dei dominium postulat, ut sub eius potestate omnimoda voluntas creata constituatur, eamque verat quocumque et quomodocumque voluerit. Poterit ergo in ea sic agere, ut voluntas in actum quemcumque prosiliat et libere prosiliat. Atqui talem agendi modum et efficaciam doctrina praedeterminantium Deo attribuit. Ergo haec doctrina probatu digna censi debet.

Respondeo. *Dist. antec.* Sic tamen ut inde non habeatur, duo contradictoria esse simul, *conc.*; secus, *neg. Dist. pariter consequens. Contradist. minor. subsumptam et nego ultimum consequens.*

Minime inciamur, Deum sic dominari supra voluntatem omnem creatam, ut eam possit etiam per praedeterminationem physicam ad determinatum actum inflectere efficaciter et irresistibiliter. At enim, si sic ageret, ei non aliter dominaretur, ac vitae dominatur per mortem, quantum scilicet, quemadmodum ut Dominus vitae in potestate habet eam auferre per mortem; sic etiam, ut Dominus libertatis, in potestate etiam habet, eam de medio tollere ope praedeterminationis. Porro non est sermo in praesenti de tali dominio, sed de eo quod Deus exercet, illaesa manente creatura libertate. De tali igitur dominio loquentes, negamus ad illud spectare, voluntatem creatam media eiusmodi praemotione sic inflectat, ut ea tamen libere operetur. Non enim pertinet ad divinam omnipotentiam, ut possit efficere, duo contradictoria sint simul, puta ut vita sit mors (1).

(1) * Respondetur, ad Dei omnipotentiam non pertinere contradictoria facere, qualia essent manere potentiam indifferentem et determinatam ad unum, seu (quod perinde est), motionem seu entitatem illam praefusam voluntati subditi in sua effectione actuali libero usui voluntatis, et necessario prodire in actum et secum ra-

Obiectio III. — Ex indeterminato seu indifferente, ut tali, nihil sequitur, ut fert commune adagium. Atqui creata voluntas, in actu primo considerata, est indeterminata seu indifferens quoad exercitium suarum actionum. Ergo impossibile est, in tali actu inveniatur ratio sufficiens determinationis consequentis. Ergo talis ratio recte repellitur ex praedeterminatione divina.

Ante responsonem observo, ex propositione quae ut commune adagium in recitata obiectione celebratur, si indigeste et perperam accipiatur, multa absurda fore consecutura. Sequeretur enim, ipsum libertatis conceptum, sive divinae, sive creatae repugnantiam involvere. Nam de conceptu libertatis est indifferentia actus primi, in quo tamen inveniatur ratio sufficiens actus secundi, ut notavimus contra Leibnitianos [360, obie. V]. Si itaque ex indifferente ut tali nihil sequitur, impossibile est, existat voluntas quae libere operetur. Idque habet locum etiam in libertate divina: ut enim haec habeatur, necesse est divina voluntas in signo priori ad sua libera decreta intelligatur indifferens ad ea. Sequeretur, etiam voluntatem non praedeterminatam ad actum praeeceptum minime culpae posse quod illam omittat: gauderet siquidem indifferentia a qua non potest se exire transeundo ad actum secundum, quo impleat scilicet praeeceptum ad quod impendendum adstringitur; nihil vero culpatur propterea quod

omittat illud quod implere non potest. Haec aliaque his gemina satis non admovent, ne eiusmodi adagia caecae admittantur, quin eorumdem sensus legitimus et verus in antecessum capiatur. Sic igitur ad factam obiectionem Respondeo. *Dist. mai.* Ex indeterminato seu indifferente nihil sequitur, nisi determinetur, determinatione indistincta ab ipsa operatione seu forma qua talis indifferentia formaliter antertur, *conc.*; determinatione aliqua praevia, *subdist.*; quum indifferentia est per modum materiae seu principii passivi, *conc.*; quum ea est per modum virtutis seu principii activi, *rursus dist.*; si ei desit aliquod praerequisitum ad agendum, *conc.*; suppositis omnibus praerequisitis ad agendum, *neg. Contradist. min., neg. utrumque consequens.*

Ad rem S. Thomas. " Invenitur aliqua virtus, ait, ad utrumlibet esse, quando perfecta operatio virtutis a neutro dependet, sed tamen utrumque esse potest: sicut aliquis qui diversis instrumentis uti potest aequaliter ad idem opus perficiendum. Hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet, sed magis ad eius eminentiam, in quantum utrumlibet oppositorum excedit, et ob hoc determinatur ad neutrum. " (1. *Cont. Gent.* c. 82.) Quibus adde commentarium Ferrariensis. " Si aliquid, inquit, sit indeterminatum per modum materiae et potentiae passivae, et sit ad utrumlibet ex parte virtutis, oportet, ut tale sit in potentia et ab aliquo extrinseco agente determinetur. Si autem sit indeterminatum per modum agentis liberi, et ad utrumlibet se habentis ex parte eius ad quod dicitur, non oportet, tale esse in potentia, nec ab aliquo extrinseco determinari, sed ipsum se ratione suae libertatis determinare potest. " (*loc. cit.* § 4.) Concedo equidem, primum etiam modum indeterminatis seu indifferentiae passivae inveniri aliqua ratione in voluntate creata, dupliciter scilicet. Primo quidem, ut diximus [360, obie. II], si spectetur ut de non agente simpliciter incipit evadere actu agens seu volens. Primus enim motus voluntatis est indeliberatus, in eoque ipsa agit per modum naturae, adeoque non ut se determinans, sed ut determinata per cogitationem praeviam.

De hoc modo indeterminationis seu indifferentiae loquitur Angelicus (*Summa th.* 1. 2^o q. 9. a. 4.), et alibi passim. Patet autem, voluntatem, prout hoc modo dicitur esse indeterminationata, non esse adhuc constitutam in actu primo proximo *liberae operationis*, ob defectum scilicet praerequisitae cogitationis et indeliberatae volitionis quae primam liberam electionem naturaliter praecedunt. Habetur etiam alius modus indifferentiae, quasi passivae, in creata voluntate, pro eo quantum licet ipsa se determinat in actionibus liberis, id tamen facit per actum a se distinctum, quem propterea recipit ut potentia. Hoc autem fieri non potest sine influentia exterioris principii, non quidem determinantis sed agentis, ut paulo ante diximus in solutione primae obiectionis. Patet autem, determinationem qua voluntas exiit hanc indifferentiam seu indeterminationem, non esse aliquid praevium ad ipsam operationem voluntatis, sed esse hanc ipsam operationem cum simultanea Dei cooperatione. Et huc spectat doctrina eiusdem Angelici (2. *Dist.* 25. q. 1. a. 1. corp. et ad 3.), ut paulo post expendemus.

Obiectio IV. — Creata voluntas, quum in agendo transeat de potentia in actum, ab alio moveri debet seu reduci de potentia in actum. Sed intelligibile est haec reductio de potentia in actum, nisi in ipsa voluntatis potentia recipiatur influxus exterioris agentis, qui eam ad actum praedeterminet eiusque actionem praecedat prioritate naturae et causalitatis. Ergo tale genus praedeterminationis admitti debet.

Respondeo. *Nego minorem*, quam certe negare licet eodem, immo et probabiliori iure, quo ab aliquibus per modum cuiusdam axiomatis asseritur. Si quis certe praecudiat mente in antecessum apud se pro uno eodemque accipienda esse definiverit haec tria, nimirum *moerere, praemovere, praedeterminare*; procul dubio mille inveniet argumenta, immo et axiomata, ad hoc genus praedeterminationis obrudendum. Sed res ita non habet, quum *moerere* latius pateat quam *praemovere*, hoc vero latius multo quam *praedeterminare*. Concedimus itaque, voluntatem, eo

quod de potentia transeat in actum, ab alio moveri debere. Hanc tamen motionem intelligimus, ut eam declaratam habuimus a Cajetano, qui oppositum dixit esse *puerile*. Recole testimonium quod ante exscripsimus [580, nota].

Instabis. Motio moventis praecedit motum mobilis natura et causalitate. Ergo perinde est quod Deus moveat et praemoveat, adeoque hi bini saltem conceptus identificantur.

Respondeo. *Dist. antec.* Quotiescumque motio est quid reipsa distinctum a motu qui per eam in mobile inducitur, *conc.*; si sit unum idemque reipsa cum motu sola ratione ab eo differens, *subdist.*; praecedit motum natura et causalitate secundum intelligendi modum, quemadmodum scilicet *actio* dicitur praecedere *passionem*, tametsi reipsa non differunt, *conc.*; praecedit motum natura et causalitate eo modo quo praemotio quam refutamus, dicitur praecedere creaturae operationem, *neg. Dist. pariter consequens*. Perinde est quod Deus moveat et praemoveat, si motio divina accipiatur pro ipsa actione divina quae unum idemque est cum eius virtute et substantia, *conc.*; si motio divina accipiatur terminative, ut est aliquid receptum in virtute creaturae, *subdist.*; praecedit eius motum natura et causalitate, secundum intelligendi modum, *conc.*; ut adversarii imaginantur, *neg.* Solutio patet ex his quae diximus [572, 581].

Instabis rursus. Virtus causae secundae, etiam in actu primo proximo considerata, alio modo intrinsece se habet quum actu fundit suam operationem, ac se habebat antea. Ergo aliquo intrinseco affici debet, quod nihil aliud esse potest, nisi motio quaedam praevia physice recepta qua de potentia reducat in actum.

Respondeo. *Dist. antec.* Et hoc habetur per ipsam eius actionem, *conc.*; et hoc habetur per aliquid praevium contradistinctum tum ab actione tum a praerequisitis ad agendum; *neg.* Sub data *dist. nego consequens*.

Ut ante notavimus [577, IV], inauditum plane fuit ante Banesium, inter actum primum virtutis operativae eiusque actum secundum dari medium quemdam actum, quia hoc